

sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, gressum deliquisti. Licite proinde hæc forma adhibetur tempore pestis, quo etiam per instrumentum decens unctio fieri potest. Porrò casus necessitatis duo præcipuè sunt: 1. Si Sacerdos, postquam unam, vel duas unctiones peregit, ob mortis accelerationem reliquas finire non posse arbitretur. 2. Si infirmus mox animam exhalaturus aliud Sacramentum non recipit. Extra quos casus præstat ministracionem intermittere. Præterquam, ut addit Laym. cit. si Ordinarius probabilem Doctorum sententiam secutus, breviorẽ illam formam pro tempore pestis durantis approbet.

Q. II. *Quem sensum habeant Verba forma: quidquid deliquisti?* R. habere sensum conditionatum; si quid deliquisti; ac ideo ministrari posset Sacramentum istud homini, tamen si nullum peccatum habeat, v.g. ei, qui immediatè ante baptizatus fuit. Suar. disp. 42. l. 2. n. 4.

## CAPUT VII.

## De Ordinis Sacramento.

Q. I. *Quid Parocho præstandum circa hoc Sacramentum?* R. requiri Parochi industriam, quã teneros adolescentes ad illud præparet, si indolem eorum ad facerrimum hunc

hunc statum aptam videat, & quasi natam ob propensionem illam, quam præferunt ad res sacras, & DEI cultum, uti & ob genium ad pietatem, atque Ecclesiæ ministria conformatum; sicut de Josue sacer narat Historicus, quod indè à teneris annis ægrè à DEI tabernaculo divelli potuerit; *Josue filius Nun, puer non recedebat de tabernaculo. Exod. 33. v. 11.*

326. Q. 2. *Quid in talibus adolescentibus singulariter procurandum?* R. laborandum, ut sic educentur; nè unquam vitiis ætati suæ cognatis inficiantur, imò, si aliqua ratione procurari posset, nè tenui quidem eorum pulvere aspergantur; utque idcirco diligentius vitent omnem pravam societatem, omnia conventicula periculosa. Oportet itaque illis persuadere usum frequentiorem Divinorum mysteriorum, majorem ad literarum studia applicationem; subministrandi illis libelli sacri, ex quibus aliquid quotidie lectitent; diligentius commendandi parentibus, & agnatis, ut vigili semper eos oculo observent, & ut res DEO dicatas, devotèque custodiant.

## CAPUT VIII.

### De Sacramento Matrimonii.

#### Quæstiones Prolegomenæ.

327. Q. 1. *Quæ sit obligatio Parochi respectu Sacramenti matrimonii?* R. illi incumbere, ut